

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

CXLVI.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

les, oro, quia occupatissimus fui, faciam autem primo quoque tempore. Bene & feliciter vale. Raptim Bebenhusii, 28. Augusti, 1573.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.



CXLVI.

Salutem.

GRatissima mihi fuit Epistola Vestra, Clarissimi Viri, cum propter narrationem ipsam, ut intelligam, quo loco pasim res sint Ecclesiæ in Saxonia, tum quod nunciant de felicissimo vestro ad Parentes vestros reditu, quo nomine & vobis & parentibus vestris ex animo gratulor. Quominus autem ad singula responderem, excusabit me apud vos D. Flinnerus, pater & frater vester, quia loco Epistolæ scriptæ viva Epistola erit & propediem ego alia etiam addam. DOMINUS JESUS Vos diutissime salvos & incolumes una cum parente, fratre meo charissimo, conservet. Bene & feliciter valete. Raptim Bebenhusii, 28. Augusti, 1573.

Vester ex animo

Jacobus Andreæ.



CXLVII.

Salutem in Christo Jesu. Reverende & clarissime Domine & frater charissime.

Petivit à nobis M. Pappus à Collegio nostro Doctrinæ Testimonium publicum, quod summum in professione nostra perhiberi potest. Quod quidem & mihi & collegis meis longe gratissimum multis nominibus fuit. Idque eam potissimum ob causam, quod non modo non dissentiente, sed etiam consentiente Rectore Academicæ vestræ, Decano & omnium Scholarum consensu factum esse intelligimus, à quibus non modo præclarum virtutis & doctrinæ testimonium est consecutus, sed etiam liberali munere ornatus. Sic enim inter vestram & nostram Scholam, pium, sanctum & salutarem consensum in doctrina conservari posse confidimus. Accedit alterum quoque, cum Rectoris voluntate & consensu, quicquid id est,